

ib. §. 4.) ex sacris testatissima. Christus assumpsit carnem omnibus hominibus ἐμάρτυρον. Pro omnibus hominibus Christus passus est in sua carne; Ego sum homo; Ergo mihi ἐμάρτυρον carnem Christus assumpsit; Ergo & pro me Christus passus est in sua carne.

Omnes homines resuscitabuntur à mortuis.

Ego sum homo.

Ergo resuscitabor à mortuis.

In his Syllogismis minor est certa certitudine humana, utpote, quæ ex doctrina Physica infallibiliter cognoscitur, & tamen infertur conclusio, quæ est certa certitudine divina; nimirum quia major propositio taliter est certa. Et inferius ibid. Aphor. 6. §. 26. Nequæ est ut Bellarminus repetat suam cantilenam, quod conclusio non possit esse certa certitudine fidei, si minor propositio sit certa certitudine humana. Exempla enim innumera hoc possunt comprobare v. g. Omnis homo est DEI creatura. Ego sum homo. Ergo ego sum DEI creatura. Conclusio est de fide, licet minor sit certa per sensum. Item: Quicumquæ est baptizatus adhibita aqua cum solenni formula institutionis Baptismi, ille est recte baptizatus. Ego sum baptizatus adhibita aqua, cum pronuntiatione solennis formulæ institutionis Baptismi. Ergo ego sum recte baptizatus. Minor est certa per experientiam & testimonium Ecclesiæ ac parentum & patrinoꝝ.

§. 15. Tandem utimur etiam argumentis è Ratione petitis κατὰ τὴν ῥησιν contra eos, qui nimium rationi tribuunt, qualium argumentorum non exiguus usus in Theologia est. Etiam si enim immediate ac indirecte veritatis demonstrationem non intendunt, sed solum adversarium convincendi ergo proferuntur, ut adeo sola adhibita adversarium in propria sententia confundere quidem possint, licet ideo statim ad veritatem perductus non sit, in pejorem forte errorem ex confusione sua, quandoque lapsurus. Si tamen juxta directæ, atque veritatem evidentem inferentia argumenta adhibeantur, ante omnia Adversario de errore & mala priorum principiorum electione convicto, occasionem præbent ante oculos positam veritatem attentius inspiciendi. Ac tantum sufficiat pro paginarum præsentium angustia, de Orthodoxa sententia nostra;
brevis